

Heinrich Vulpus Johannes Götzigerode

**Tetras Disputationum Psychologicarum proponens integram doctrinam De Anima Quarum Prima est De Anima In Genere Et In Specie De Vegetativa Quaestionibus haud vulgaribus earundemque decisionibus nervosis illuminata**

Rostochi[ij]: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729273474>

Druck Freier  Zugang



Traes. Völpinus, Heinrich  
Resp. Botzigerode, Joh.

RU phil 1621



*103.*  
ΣΥΝΘΕΣ  
T E T R A S

DISPUTATIONUM PSYCHOLOGICARUM  
*proponens integram doctrinam* *103.*

DE ANIMA

Quarum Prima est

D E

ANIMA IN GENERE ET  
IN SPECIE DE VEGETATIVA

Quæstionibus haud vulgaribus earundem-  
que decisionibus nervosis illuminata

*Quam*

Consensu celeberrimæ Philosophicæ Facultatis

*In Alma Rostochiensium Academia,*

P R Æ S I D E

M. HENRICO VULPIO

Scholæ Senatoriæ Rostoch: Rectore,

*Placidè & candidè ad ventilandum proponit  
& exhibet*

JOHANNES GOTZIGERODIUS

Schlesviga Holstatis Medic. S.

*Ad d. 14. Julij horis à 6. Matut.*

---

ROSTOCH, TYPIS JOACHIMI PEDANI,

ANNO M. DC. XXI.

*R. U. p. m.*

CELSISSIMI ET ILLUSTRISSIMI HOLSATIÆ  
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI &c.

Hierarchæ Admodum Reverendo & Humaniss. Viro

DN. M. JACOBO FABRICIO,

NEC NON

Senatoriij ordinis apud Schlesvicenses viro Primario &  
Pharmacopola aulico

DN. LAURENTIO COQUO,

EVERGETIS & Meccœnatibus suis oculurus observandis.

U.

Plato.  
Cicero.

**E**st certè VIRI, REVERENDE ADMODUM, ut & INTE-  
GERRIME, est, inquam, sanè amplum & magnum illud HOMINIS en-  
comion, quando videlicet, ἡ ἀνὴρ θωμμάτων, animal adorandum,  
rationis & consilij plenum; imò augustum sigillum cui Divina Majestatis  
imago Gen. 1. vers. 27. c. 5. vers. 1. c. 9. vers. 6. insculpta, nominatur; atq; à quâ  
substantiæ parte illa excellentia primario dependeat, Physicus inquirere jure detineo-  
tur. Elegans siquidem est illa partium corporis οὐμετερία, elegantior earundem  
ἡ λαφράτης; verum summa elegantia haurit in ulla corporis ita absolute dicti parte  
inveniri poterit: inerit ergo, cum due tantum sint partes hominis essentielles, pri-  
mario anima. Hæc cum elegantia & præstantia sua vincat corpus, utilitatem sanè  
longè majorem ejus, quam corporis cognitio continebit. Medicus enim vim natura-  
lem & vitalem, reliquaq; passim in Medicina occurrentia; Theologus liberum arbi-  
trium, intellectum, concupiscentiam &c. Factus actionem invitam, spontaneam, cæ-  
teraq; hujusmodi absq; ea percipere nequaquam possunt. Jacchæus l. 8. c. 1. Cum  
igitur mearum erat partium, de hac nobilissima parte disquirendo initium facere,  
VOBIS, de me OPTIME MERITIS, ad confirmandam meam observantiam &  
gratitudinem, hanc meam, non quoad sensum, sed laborem, disputatiunculam, conse-  
crare volui ac debui: qua si serena fronte, de quo mihi nullum est dubium, à V. R.  
& T. J. excipiat, me beatum judico, stimulumq; ulterioris assiduitatis habeo.  
DEUS O. M. Vos salute salutes, salvosq; cum OMNIBUS VESTRIS in meum  
meorumq; subsidium & solatium conservet ac tueatur.

V. R. & H. ut & T. J. studiofiss.

JOHANNES GOTZIGERODIUS  
Schlesviga Holsatus M. S.



THESIS I.

**I**N Genere Anima consideratur  
vel absolutè, vel relativè.

2. Absolutè perpenditur juxta conceptus quidditativos, quos cum corpore habet communes.

3. Hæc consideratio respicit vel substantiam vel affectiones animæ.

4. Descriptio substantiæ patet ex trito versiculo.

*Summus Aristoteles hanc dixit corporis actum.*

5. Affectiones animæ sunt; simplicitas, indivisibilitas, & immobilitas.

6. Simplex est, quia non est composita ex partibus inter se re diversis.

7. Indivisibilis est, quia in partes est individua.

8. Imobilis est, quia in se ipsa immobilis manet, & alijs motum inducere potest.

9. Relativè consideratur in ordine & habitudine ad corpus.

10. Secundum hanc definitur à Philosopho 2. de anim. cap. 6. quod sit actus corporis organici Physici, vitam habentis potentiâ.

11. Et tantum de anima in genere, sequuntur jam in specie ejusdem facultates.

12. Consideratione specificâ anima est, vel Vegetativa, vel sensitiva, vel rationalis.

13. Anima Vegetativa est anima quæ suo amplexu primò largitur vitam, ejusq; consequentes operationes, alere sc. augere, generare.

14. Hæc latissimè patet; inest enim plantis & animalibus. Hæc porro esse potest sine sensitiva & intellectiva, non verò contra: Hæc absq; ea subsistere & coherere non possunt. Hæc à Medicis Facultas Naturalis appellatur.

15. Est autem vita animæ cum corpore unio.

16. Dissolutio verò Mors est.

17. Functionum illarum animæ vegetantis primæ principalium tres sunt; Nutritio, Auctio, Generatio.

18. Harum alix individui conservationi; alia speciei propagationi inservit.

19. Individuum conservant Nutrix & Auctrix.

20. Est autem Nutrix facultas, vis animæ Vegetantis, qua naturalis partium animati corporis defluxus restituitur, ex alimento, in substantiam converso.

21. Hæc, tria primum requirit. 1. Nutrientem animæ facultatem. 2. Nutriens alimentum. 3. Nutriendum corpus animatum.

22. Auctrix facultas est vis animæ Vegetantis, quæ corpus animatum paulatim extendit & sub certa forma, auget, secundum omnium partium legitimas dimensiones.

23. Hæc item tria habet requisita. 1. Corpus animatum unum idemq; numero manens, cui secundum omnes illius partes, sed primum spermaticas fit accessio. 2. Alimenti copiosioris in illis partibus restitutionem. 3. Facultatem Auctricem, quæ inceptum caloris insiti dirigit, & ad convenientem illi animato corpori terminum & quan-

& quantitatem, quæ ἀκμή sive consistentia dicitur, promovet.

24. Speciei propagationi inserviens est Generatrix facultas, quæ est vis animæ Vegetantis, quæ corpus animatum aptum ad progignendum sibi simile redditur.

25. Et hæc de animæ Vegetantis facultatibus principalioribus, sequuntur minitæ.

26. Sunt autem quatuor, Attractrix, Retentrix, concoctrix, expultrix.

27. Attractrix facultas est vis nutrimentum attrahens, ad nutrienda membra.

28. Retentrix est vis nutrimentum attractum ad perfectum digestionis tempus detinens.

29. Concoctrix est vis alimentum digerens, ut rei nutriendæ assimiletur & ita nutritio perfici possit.

30. Hujus in perfectioribus animalibus actio triplex, & concoctionum sibi mutuò succedentium tres sunt gradus.

31. Prior omnium imperfectissimus in ventriculo est, qui dicitur χύλωσις, quando alimentum per os assumptum, dentibus frangitur, & in ventriculum delatum calore ventriculi in saccum cremori pitisanæ non ab similem convertitur; cujus, dum in gyris intestinorum moratur melior portio per venas mesaraicas attrahitur, impuriore parte seu fecibus per expultricem facultatem rejectis.

32. Quæ huic succedit ἀιμάτωσις dicitur, ubi illa chyli portio, per venas mesaraicas attracta & præparata, ad jecur defertur, ejusq; insita facultate in sanguinem transmutatur: in qua transmutatione tria excrementa occurrunt, quæ ad certa membra distribuuntur, nimirum bilis flava, quæ ad vesiculam bilis, & atra, quæ ad



splenem relegatur, ac serum, quod cum sanguine, cujus vehiculum est, in venam cavam delatum, ad renes percolatur, & in vesicam deferitur.

33. Ultimus gradus quo superiores velut præparationes referuntur, in substantiam solidarum partium est, ac in habitu corporis, ubi propriè nutritio dicitur: dum ex venis alimentum attractum & præparatum apponunt; deinde quod nulli superiorum evenit, primum agglutinant, deinde assimilant. Cujus concoctionis, quæ circa partes sunt, sudor & insensibilis transpiratio excrementa dicuntur.

34. Expultrix ex vis alimenti impuritates per digestionem separatas expellens, ne putredinem vel morbos in corpore animato gignant.

Tantum etiam de facultatibus animæ vegetantis ministris. Sequuntur Quæstiones

## QUÆSTIO I.

### An Physico de anima docere competat & quomodo?

**R**esp. Communis Philosophorum canon est: *Quicquid est homogeneum in una disciplina, illud est heterogeneum in altera: ex quo, sinistrè tamen intellecto, aliquis fortè colligeret, doctrinam de anima ex toto aut ad Physicam aut ad Metaphysicam pertinere: sed mediam viam judicamus esse eligendam. Animam nimirum pro diverso considerandi modo partim Metaphysicæ, partim Physicæ esse considerationis. Consideratio enim Anima est vel absoluta vel relativa: Absoluta est, quando consideratur in sese simpliciter secundum entitatem absolutam, quatenus anima est, & post interitum*  
*hominis*

hominis remanet, quo sensu consideratur  $\mu\epsilon\tau\alpha\Phi\omicron\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ ; Relativa vero est, quando consideratur in respectu ad corpus, quatenus est  $\epsilon\nu\ \pi\lambda\acute{\epsilon}\chi\epsilon\iota\alpha$  corporis, eiq; substantialiter & naturaliter unita est, quo sensu consideratur  $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ . Si vero specialius quaesieris: Quomodo anima ad subiectum Physica pertineat? breviter respondeo: Non ut species, sic enim corpus esset; quod falsum esse demonstrabimus questione sequenti: non ut Affectio, sic enim accidens esset, quod absurdum, quia anima est principium motus internum. Arist. l. 2. de Anim. c. 1. t. 3. Sed ut Principium subiecti in quo ciet suos motus, vegetat quodlibet corpus animatum. Ne autem tibi scrupulus remaneat ex t. ult. l. 1. Phys. ubi Aristoteles dicit, se in Physicis tractaturum esse de formis corruptibilibus: ad quas animam hominis referri non posse nemini incertum est: eundem tibi eximere conabor. 1. Unius positio non est alterius exclusio. 2. Aliud est tractare de aliqua re primario, per se & principaliter; aliud secundario & minus principaliter: de anima igitur ut rationalis est & incorruptibilis, per se & primario non tractat Physicus, sed quatenus est  $\epsilon\nu\ \pi\lambda\acute{\epsilon}\chi\epsilon\iota\alpha$ , actus aut forma corporis Physici. Sequitur

## QUÆSTIO II.

### An anima sit corporea?

**R**esp. In omni scientia subiecto considerata sunt tria: 1. Principia. 2. Affectiones. 3. Species. Arist. l. 2. post t. 76. Animam non considerari in Physicis ut speciem, diximus questione prima, sic enim foret corpus: Ne ergo videamur petere principium, dispicendum secundo loco est: An anima sit incorporea, nec ne? non enim defuerunt ex antiquis Philosophis, qui eandem corpoream esse asseruerint, teste Aristotele l. 1. de

l. 1. de anim. t. 20. & seqq. quin & in ipsa Christi curia Ter-  
tullianus & Appollinaris Alexandrinus animam esse corpoream  
censuerunt: Absit autem à nobis ut statuamus animam esse  
conflatam ex atomis, qua corpora sunt, aut ex elementorum  
fragmentis; anima potius incorporeitatem asseremus, sequen-  
tibus moti argumentis. I. Principium QUO non est Princi-  
pium QUOD. Quocirca id quo vivit corpus non est ipsum  
corpus. Anima est principium quo vivit corpus, corpus enim  
vivit non quatenus absolute corpus est, sed quatenus tale nimi-  
rum animatum est. Ergo non est ipsum corpus. II. Nullum  
corpus potest simul esse in eodem loco cum alio corpore, siqui-  
dem corpus in corpus penetrare nequit. Atqui anima potest  
esse in eodem loco cum corpore, quod probatur ex operationibus  
vitalibus, quas in corpore exercet, in eodem namq. loco, in  
quo est corpus vivum, videmus etiam exercitium operationum  
vitalium. Ergo anima non est corpus. Addo III. ex Magi-  
ro: Anima non est corpus, quia illud non in alio tanquam  
subjecto inest, sed partes in ipso sunt tanquam in toto; animus  
in alio tanquam subjecto inest, nempe tali corpore, quod vi-  
tam & animam habet. Ergo anima non potest esse ipsum  
corpus.

### QUESTIO III.

Utrum unio animæ & corporis sit animati  
forma; an vero ipsa anima?

**R**esp. Prius questionis hujus membrum ex recentioribus  
Philosophis assumit Casmannus l. 1. Psych; p. 3. Conten-  
dens unionem animæ cum corpore veram hominis esse formam:  
cujus sententiæ absurditatem unico saltem argumento demon-  
strabit.

strabimus, quod tale: Nullum accidens potest constituere  
substantiam. Unio est accidens. Ergo unio non potest constituere  
substantiam. Statuimus igitur cum Aristotele & alijs nobi-  
lissimis Philosophis, ipsam animam animati esse formam, argu-  
mentis moti haud infirmis, ex quibus unicum produxisse sat e-  
rit: Cui competit Forma 1. Definitio. 2. Proprium. 3. Effe-  
ctum, illud suo jure nomine vera forma salutandum. Atqui  
anima, non unioni, competit 1. Definitio forma, dat enim per se  
esse formale animato, ipsumq; constituit & totum corpus in-  
format. 2. Proprium forma: animatum enim per animam &  
non per unionem distinguitur. 3. Effectum forma: quia dat  
animato propriam operationem. Ergo anima & non unio est  
vera animati forma. Verum insurgit praedictus Casmannus  
contra receptam hanc eamq; veram sententiam duobus potissi-  
mum argumentis: I. Pars non potest esse forma totius. At ani-  
ma est pars totius. Ergo non potest esse forma totius. II. Qua-  
lis forma tale & formatum. Atqui forma est spiritualis. Ergo  
& homo erit spiritualis: Respondemus in priori committi  
Ignorantiam Elenchi, sive Fallaciam Oppositorum. Diver-  
so namq; respectu Anima potest esse hominis pars & forma:  
Pars est quatenus homo consideratur ut totum essentiale; For-  
ma etiam est; quatenus homo consideratur ut formatum. Ad  
posterius respondemus 1. per Instantiam: Qualis forma tale  
est & formatum. Atqui unio anima cum corpore (qua Cas-  
manno est forma animati) est accidens. Ergo & ipsum for-  
matum (animatum) erit accidens. 2. Per Distinctionem:  
Anima rationalis est forma hominis, non quatenus spiritualis  
est & extra corpus consideratur, sed quatenus est in  
corpore ut ενάλεξα: Major ergo Syllogismi limitan-  
da: Minor vero neganda. Atque sic sat firma sententia:  
Animam esse animati formam.

B

QUAE-

QUESTIO IV.

An omnis anima sit extensa & divisibilis.  
ad extensionem & divisionem  
materiæ?

**R**esp. Tres sunt anima facultates, Vegetans, Sentiens & Rationalis, quæ tria animatorum genera constituunt: Vegetans quidem plantas; sentiens bestias; Intelligens sive Rationalis homines, ita tamen, ut semper inferiores absq; superioribus esse possint, superiores autem semper inferiores includant: Quæritur igitur de hisce, an omnes sint extensa ad extensionem materiæ? ad quod respondemus, omnem animam, excepta anima rationali, ad materiæ extensionem extendi, & sic consequenter dividi. Animam rationalem excipimus, quia illa legibus illis, quibus reliqua forma Physica, non subjecta, sed præ illis nobilitata est, adeo ut nullas habeat partes, sed tota sit in toto, & tota in qualibet parte, nec à materiæ in esse & operari dependeat. Affirmamus autem 1. de Anima Vegetante, quæ dat vivere, ut patet in plantis: Reseca enim surculum ex frutice vel arbore & justo tempore infere terræ vel stipiti, ne destituatur alimento, surculus iste in arborem excrescet, vel in herbam ejusdem generis. Ostendimus 11. de Anima Sentiente, 1. quia dependet à materiæ in esse & operari, unde ad materiæ extensionem extenditur, & est divisibilis, ad divisionem materiæ. 2. Anima sensitiva existere nequit, nisi in materiæ. Ergo ad ipsam materiam sese accommodat, atque sic materia divisa dividitur. 3. Experientia probat in insectis post divisionem utramq; partem adhuc vivere, quod

expe:

experimur in scarabæis, anguibus &c. quia ergo effecto ipsæ partes illa animæ præsentiam ostendunt, animam illam divisibilem esse necesse est.

### QUÆSTIO V.

An quælibet facultas in qualibet animati parte inveniatur?

**R**esp. In diversas hic videbis Physicos ire sententias, quas decidere annitemur, distinguendo inter inesse originaliter & subjective inesse: Facultates sunt in quavis parte originaliter, quatenus ab anima essentia (distinguenda enim est facultas ab ipsa anima essentia) promanant; non autem sunt in omnibus partibus subjective, ita ut omnis pars cujuslibet facultatis instrumentum esse possit: E. G. Facultas visiva respectu originis (animæ) est in qualibet parte; non autem ubiq; suscipitur tanquam in proprio suo instrumento, hæc namq; ratione tantum est in oculo, non in pede, manu aut alio quopiam animati membro: Et licet totus homo dicatur videre, audire, olfacere &c. singulis membris tamen illa attribuerè ridiculum foret: Multa enim conveniunt integro (quia actiones & passionès totius sunt suppositi) quæ non conveniant singulis membris.

### QUÆSTIO VI.

An nutrimentum corporis sit purum elementum, & in substantiam ejusdem mutetur?

**R**esp. Nutrimentum nostri corporis non esse purum elementum

mentum, satis constare puto: exinde, quod corpus non ex uno  
& puro constet elemento, sed ex pluribus, quocirca non pu-  
rum elementum sed mixtum & impurum alimenti & nutri-  
menti rationem obtinebit: quam nostram sententiam decla-  
rabit thesis 32. Disputationis nostræ Physicæ de Elementis  
paucis antè septimanis habita, in qua proprietas elementorum,  
quæ nobis usui sunt, proposita, quod non sint prorsus pura, sed  
impura, & quidem propter utilitatem animantium & res-  
nascentes.

Nutrimtum autem in corporis substantiam mutari af-  
firmamus: siquidem videmus corpus nutritum majorem ac-  
cipere quantitatem, quod sine appositione nova materia solâ  
extensione fieri nequit: alias corpora illa, quæ augentur rares-  
fierent, quod absurdum est.

## Corollaria.

### I.

An in uno vivente plures esse possint  
formæ?

*Disting: inter formam ultimam & subordi-  
natam. Unica tantum eaq; ultima & specifica  
in uno est vivente; possunt esse plures subordinata  
& generica.*

### II.

An tres animæ facultates realiter  
distinguantur?

*Affir.*

*Affirmamus, quatenus diversa informant  
subjecta realiter differentia. E. g. plantam, be-  
stiam, hominem.*

### III.

Num pili & ungues vivant?

*Negamus, quia in mortuis etiam pilos vide-  
mus crescere: idq̄ beneficio caloris putredinalis  
ipsis materiam augmentationis suggerentis.*

### IV.

Quare inhonestum videatur alterius  
attingere barbam?

*Resp. Quia causa barba remota est potentia  
generatrix (ut ex parte videmus in Eunuchis, qui  
ut plurimum imberbes sunt propter impotentiam)  
que si ledatur, barba etiam leditur.*

### V.


An vita possit prolongari?

*Affirmamus, quia hujus rei habemus. 1.  
Causas. 2. Promissiones. 3. Exempla. Ad  
locum Jobi c. 14. vers. 5. Determinati sunt dies  
homi-*

B 3



hominis , numerus mensium apud te est: consti-  
tuisti terminos ejus, qui prateriri non poterunt.  
Resp. Distingu: inter ipsum vite terminum à Deo  
constitutum & modum seu causas constitutionis:  
Terminus ipse vite ratione præscientiæ DEI est in-  
fallibilis; modus verò constitutionis termini non  
dependet ex absoluta DEI voluntate; sed ex rerum  
præscitarum causis, & quidem vel naturalibus vel  
voluntarijs, vel forinsecus homini evenientibus.



A D  
PRÆSTANTISSIMUM  
DOMINUM  
RESPONDENTEM.

**D**ixit Aristoteles summus Dux ille so-  
phorum:

Orditur Medicus desinit ut Physicus.  
Arrigat huc aures Physices contemtor  
iniquus  
Artem præproperè qui ruit in medi-  
cam.

Non


Non tam multoties, spissa caligine mersus  
Hæreret media, quam facit ipse, via.  
Longè aliter sentis ô præstantissime Jane!  
Fundamenta locans gnaviter in Phy-  
sicis.

Annon testatum faciunt tua lemmata cun-  
ctis,

Quos fovet in roseo dia Minerva sinu?  
Ergo maecte animo! sic ô sic pergere pergas,  
Mox dabit Attalicas ipse Galenus opes.

*raptim fundebat*

Quirinus Smaltius  
Erfurt: Thyr.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





*Affirmamus, quatenus dicitur  
subjecta realiter differentia. E. g.  
stram, hominem.*

### III.

Num pili & unguis v

*Negamus, quia in mortuis cre  
mus crescere: idq̄ beneficio calor  
ipsis materiam augmentationis sug*

### IV.

Quare inhonestum videat  
attingere barbam

*Resp. Quia causa barba reme  
generatrix (ut ex parte videmus in  
ut plurimum imberbes sunt propter i  
que si ledatur, barba etiam leditur.*

### V.

An vita possit prolon

*Affirmamus, quia hujus re  
Causas. 2. Promissiones. 3. E  
locum Jobi c. 14. vers. 5. Determ  
B 3*

*mant  
, be-*

*vide-  
nalis*

*us*

*entia  
, qui  
( )*

*. i.  
Ad  
dies  
omi-*

